

tum legum exitium constanti voce ferebant
templa deumque adeo flammis urbemque iubebant
eripere et stragem horribilem caedemque vereri;
atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri,
5 ni prius excelsum ad columnen formata decore
sancta Iovis species claros spectaret in ortus.
tum fore ut occultos populus sanctusque senatus
cernere conatus posset, si solis ad ortum
convorsa inde patrum sedes populique videret.
10 haec tardata diu species multumque morata 21
consule te tandem celsa est in sede locata
atque una fixi ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptrum columna
et clades patriae flamma ferroque parata
15 vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
rite igitur veteres quorum monumenta tenetis 13
qui populos urbisque modo ac virtute regebant,
rite etiam vestri quorum pietasque fidesque
praestitit et longe vicit sapientia cunctos,
20 praecipue coluere vigenti numine divos.
haec adeo penitus cura videre sagaci,
otia qui studiis laeti tenuere decoris,
inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo 22
fuderunt claras fecundi pectoris artis.
25 e quibus ereptum primo iam a flore iuventae